

Alex. VII damnata : " Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat. „ Ratio est : id manifeste adversari voluntati a confessario manifestatae ut hoc opus bonum, tamquam pars sacramenti, ab ipso poenitente ponatur. Áliter dicendum esset si ipse confessarius jussisset poenitentem procurare ut bonum opus ab alio perageretur : nam sic patet ejus voluntatem esse ut tamquam pars sacramenti ponatur actus, quo alter ad hoc opus bonum inducatur.

4º In interpretanda obligatione poenitentiae imprimis spectanda est voluntas confessarii expresse manifestata vel rationabiliter ex adjunctis consuetudine, etc. collecta. (Vol. I. n. 112) Ideo ex. gr. qui jesus est duas audire Missas, non satisfacit si assistit duabus quae simul a duobus sacerdotibus celebrantur; qui omisit jejunium pro certo die praescriptum, tenetur, saltem regulariter, ad jejunandum alio die, nisi ex adjunctis colligere possit confessarium principaliter intendisse ut hoc die jejunaretur. (S. Alph. n. 525)

5º Nullatenus necesse est ut poenitentia ante communionem impleatur. Huc facit prop. 22ª ab Alex. VIII damnata : " Sacrilegi sunt iudicandi qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint. „

6º Satisfacit qui opus in poenitentiam praescriptum ponit, etiamsi nullam habeat satisfaciendi intentionem, immo probabilius, etiamsi diserte intendat illud e mera devotione ponere. Nam eo ipso quod fit opus a confessario impositum, elevatur illud opus ad effectum sacramentalem causandum per voluntatem sacerdotis praecedentem. (Lugo, disp. 25. n. 34 seqq.; Sanch. in Dec. l. 1. c. 13. n. 17)

320. IV. Ut determinetur quantum sit peccatum in **dilata poenitentia**, attendenda sunt ea quae in simili argumento de voti dilatione dicta sunt. (Vol. I. n. 321) Itaque :

1º Si nullum tempus determinavit confessarius, poenitentia implenda est quamprimum commode fieri potest. Quanta autem dilatio sit gravis, plurimum disputant DD. (S. Alph. n. 521), ut fieri solet ubi certa lex deficit : nam alii octo dies, alii sex menses, alii annum ponunt. Rectius Lugo (disp. 25. n. 92) requirit longum tempus, nihil amplius determinando, et Ball. P. (n. 521) opinatur nullam dilationem fore gravem nisi poenitens, differendo sine causa excusante, se conjiciat in statum impotentiae ad poenitentiam exsequendam. Certe non requiritur ut poenitentia absoluta sit, antequam iterum ad poenitentiae sacramentum accedatur.

2º Quando confessarius tempus determinavit, non videtur gravis dilatio ad breve tempus, puta si rejiciatur jejunium feriae VI^a in diem Sab-

bati, vel obligatus ad communicandum singulis mensibus differat ad sex vel octo dies. (Bus. ap. S. Alph. n. 521) Supponitur tamen per hujusmodi dilationem non minui substantiam operis praescripti, puta tot fieri communiones quot menses elabuntur. Opinatur etiam Ball. P. (n. 523) universe non esse presumendum confessarium voluisse ut sub gravi cadat quaevi dilatio, etiam ex mera socordia.

V. Quando poenitens etiam culpabiliter **poenitentiam oblitus** est, non tenetur, juxta communem sententiam (S. Alph. n. 520), repetere confessionem ut aliam poenitentiam accipiat. Nemo enim tenetur repetere peccata sua semel distincte accusata et directe remissa. Attamen poenitens teneretur ad confessarium suum interrogandum, si putaret illum adhuc memorem esse poenitentiae injunctae. Sed ab hac obligatione excusatur ob rationabile incommodum : quod saepe aderit si coram aliis redeundum est ; deinde in multis adjunctis prudenter praesumi poterit confessarium poenitentiae oblitum esse.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI SACRAMENTI POENITENTIAE.

321. I. Datur omnibus et solis baptizatis **praeceptum divinum** confitendi peccata mortalia post baptismum commissa. Nam, ut probant Dogmatici et definivit Trid. (Sess. 14. c. 5) : " Ex institutione sacramenti poenitentiae... universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integrum peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. „ Igitur, cum sacramentum poenitentiae vel ejus votum, contritioni inclusum (n. 270, II), sit omnibus post baptismum lapsis necessarium ad salutem, liquet eosdem jure divino teneri ad confitendum, nisi impotentia excusentur.

Urget hoc divinum praeceptum per se in periculo saltem probabili mortis : quod intellegendum est ut, in simili causa, dictum est de obligatione Viatici suscipiendi. (n. 206) Ratio est : eum qui in tali periculo obligationem a Christo impositam non impleat, se manifesto periculo exponere eam numquam implendi, perinde ac si teneretur ad aliquam restitutionem faciendam, ad secretum revelandum, etc. Quare idem officium viget in casu, sane rarissimo, quo aliquis per reliquam vitam jam numquam copiam confessarii habiturus est, vel nullum reperturus est qui eum a reservatis absolvere possit.

Multi DD. cum S. Alph. (n. 663) opinantur idem praeceptum probabilius obligare aliquando in vita extra mortis periculum. At talis obligatio probabilitatem non excedit. Nam, si solum jus divinum spectatur, non apparet quare homo nequeat, dilata confessione, per contritionem perfectam Deo reconciliari. Neque habetur paritas cum baptismo qui diu ab adultis differri nequit: confessio enim non est, sicut baptismus, janua Ecclesiae et christiana religionis fundamentum. (Suar. de Sacram. p. 1. disp. 31. sect. 2)

322. II. Communis sententia tenet ad confessionem, ex jure divino, per accidens obligari gravis peccati reos, antequam ad S. Eucharistiam accedant. Obligationem hanc explicuimus supra (n. 192), ubi notavimus non certo constare ultrum e jure divino an ecclesiastico oriatur.

Censem insuper multi DD. cum S. Alph. (nn. 437, 663) eum qui in peccatum mortale lapsus sit, obligari ex jure divino ad confitendum pluries in anno vel ad contritionem perfectam eliciendam, ne diu maneat in mortali. Rationem praecipuum afferunt istam: experientia et DD. auctoritate (S. Th. 1. 2. q. 109. a. 8) constare, non posse hominem gratia habituali carentem diu abstinere a novo peccato, ac proinde obligari ad adhibendam confessionem, vel saltem perfectam contritionem, tamquam medium moraliter necessarium ad vitanda nova peccata. Alii tamen (Suar. disp. 15. sect. 6. n. 7. et disp. 35. sect. 3. n. 10; Ball. P. n. 1036 seqq.) hanc obligationem, saltem practice, negant. Nam, ut de ipsa contritione elicienda observat Suar. (disp. 15. l. c.): "Ad vincendam quaecumque tentationem auxilium gratiae excitantis et adjuvantis sufficit, et nullum est principium sufficiens quo homo sibi persuadeat non posse tale auxilium sufficiens vel efficax obtineri sine gratia habituali, aut semper negari ei qui non conteritur... Quodsi occasio illa non consideretur tantum ut praesens et quasi momentanea, sed ut futura et perseveratura, et status gratiae dicatur esse dispositio ad constanter resistendum, sic fateor illam esse aptissimam dispositionem et moraliter aliquando necessariam, si perseverantia seu continuatio occasionis et temptationis sit diurna. Tamen, quia hoc numquam in praesens constare potest et in quolibet tempore signato possunt sperari sufficientia auxilia gratiae, etiamsi habitualis gratia desit; ideo vix credo, ad hunc finem posse judicari hoc medium ita necessarium ut inde oriatur obligatio. Dixi *per se loquendo*: quia ex dictamine conscientiae vel ignorantis vel timidae id non repugnat." Admittit quidem Suar. (disp. 35. sect. 6. n. 18) obligationem aliquam poenitentiae, saltem internae, oriri e pracepto diligendi Deum super omnia, cuius exercitium neque ad mortem usque differri, neque cum statu peccati mortalitatis componi potest. Attamen, cum nullatenus pateat quanto tempore liceat

differre hunc actum caritatis et consequenter internam poenitentiam, ipse Lugo, qui eam obligationem tamquam probabiliorum amplectitur, addit non esse monendum poenitentem, nec de omissa poenitentia interna per totum annum, nec de ea in posterum elicienda. (disp. 15. n. 54 seqq) Quodsi igitur non constat de obligatione internae poenitentiae extra confessionem annuam agendae, multo minus constabit de obligatione confessionis plus quam semel quotannis instituendae ab iis qui in peccata gravia labantur. Immo hanc nullatenus existere satis appetat tum ex universalis persuasione theologorum qui eam numquam populo denuntiarunt, et fidelium qui illam prorsus ignorant, tum ex ipsa lege ecclesiastica annuae confessionis, quae fidelibus omnibus hanc invincibilem persuasionem ingerit: non dari obligationem saepius confitendi, cum Ecclesia eam procul dubio promulgasset. (Lugo, l. c. n. 46 seqq.)

323. III. Omnes fideles qui ad annos discretionis pervenerunt, tenentur **lege ecclesiastica** (Cone. Lat. IV. c. *Omnis utriusque sexus*; Denz. n. 363), ad confessionem saltem semel in anno instituendam. Tria explicanda sunt:

1º Subjectum legis. Haec neminem obligat qui venialia tantum commiserit: nam Lateranense praecipit ut quisque *omnia sua peccata confiteatur*, quod sane intellegi nequit de venialibus quae, teste Trid. (Sess. 12. c. 5), citra culpam taceri possunt. Pueros autem obligat postquam septennium complevere (Vol. I. n. 94), nisi forte tam tardi ingenii sint ut nondum habeant discretionem quae ad graviter peccandum sufficiat: quod non est facile arbitrandum. Neque obstat quod nondum ad S. Communionem admittantur: nam, licet confessio in ordine ad communionem praecipiatur, praeceptum tamen duplex est, et pro sola communione additur restrictio: *nisi forte de proprii sacerdotis consilio*, etc. (Lugo, de Poenit. disp. 15. n. 151) Hinc patet non eximi a pracepto annuae confessionis aetate provectiores qui, qualibet de causa, communicare non possint.

2º Tempus quo lex implenda est. Non paucae fuere opiniones Theol. de ratione qua computandus sit annus intra quem confessio illa instituenda sit. Probabilius opinamur, cum Suarez, Laymann, Struggl multisque alliis, hunc annum computandum esse a tempore paschali ad tempus paschale, vid. ita ut quilibet annus incipiat currere a fine unius temporis paschalis et cum fine sequentis temporis paschalis desinat. Nam ita legem interpretatur universalis fidelium consuetudo, et suadet ipse textus Lateranensis, dum jubet communionem *in Paschate fieri*. eamque arte conjungit cum annua confessione, tamquam cum necessaria ejus preparatione. Eidem enim sententiae, qua statuitur lex annuae confessionis, additur: "susciens reverenter, ad minus in

Pascha, Eucharistiae sacramentum. „ Attamen saltem extrinsece probabilis est interpretatio, quam fuse tuetur Lugo (disp. 15. n. 157) : annum computandum esse a 1^a Januarii ad 31^{am} Decembris, quia hunc sensum naturaliter fundit vox anni.

Cum autem praeceptum sit de solis mortalibus confitendis, communiter tenent Theol. huic legi minime satisfieri confessione venialium emera devotione. Quare admittunt cum Lugo (l. c. n. 162) eum qui in decursu anni, quocumque tandem modo computetur, pluries de venialibus confessus sit, in ipso autem anni fine, puta (juxta sententiam posteriorem) 31^a Decembris, graviter peccet, teneri ad confitendum ante anni finem. Sed merito notat Ball. P. (n. 1061), pluribus AA. allegatis, talem conclusionem longe recedere a fidelium sensu, neque aequum esse ut melioris sit condicioneis qui eodem anno peccata mortalia quam qui solum venialia confessus sit. Nempe usus universalis habet ut omnes, etiamsi nullum mortale admiserint, confessionem annuam instituant, intendentes huic legi parere, nec desunt graves DD., ut S. Bonaventura, qui eam ad confessionem venialium in defectu mortalium extendant. (Lugo, l. c. n. 131) Ergo qui (ut vulgo fit) instituit confessionem tempore Paschatis cum intentione implendi hoc praeceptum, videtur satisfacere saltem per aliquam epikeiam, etiamsi tunc nihil nisi venialia accusanda habuit, neque obligari ad confitendum eodem anno mortale in quod forte ceciderit.

Si quis praecerto annuae confessionis non satisfecit, is, juxta sententiam communiter receptam (Lugo, l. c. n. 177; S. Alph. n. 668), nequit usque ad finem anni sequentis (alterutro modo computandi) exspectare ut confessionem instituat. Contradicunt tamen plures AA. graves antiquiores, ut dictum est in quaestione simili de omittente communionem tempore paschali. (n. 208) Controvertitur quoque utrum idem, confessione initio sequentis anni peracta, satisfaciat quoque pro obligatione istius anni, an iterum postea in mortale lapsus confiteri teneatur. Haec tamen controversia nihil facit ad praxim : etenim confitentibus et communicantibus paulo post paschale tempus numquam in mentem venit ita satisfieri pro sequenti anno paschali. (Ball. P. n. 1078)

3^o *Ratio qua implenda est.* Hodie certum est huic legi non satisfieri confessione sacrilega. Damnavit enim Alex. VII prop. 14^{am} : „ Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecerto Ecclesiae. „ Nec refert apud quem sacerdotem confessio haec annua instituatur, dummodo jurisdictione gaudeat. Consuetudine enim vim legis habente aboluta est dispositio Conc. Lat. qua jubetur unusquisque confiteri apud proprium sacerdotem (parochum, episcopum, Rom. Pont.), nisi licentiam apud alium confitendi a proprio sacerdote obtinuerit, „ cum aliter ipsum non possit absolvere vel ligare. „ Cfr. Bened. XIV, Inst. 18. n. 9.

SECTIO III. DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAPUT I.

DE POTESTATE MINISTRI.

§. 1. PRINCPIA GENERALIA.

324. I. Numquam sacramentum poenitentiae valide administrari potest ab eo qui non sit **sacerdos**, ut a Dogmaticis demonstrari solet, et a pluribus Conciliis, ex. gr. Trid. (Sess. 14. c. 6) definitum est. Quare confessio, quae medio aevo in casu necessitatis fiebat laico, non erat proprie sacramentalis.

II. Praeter characterem sacerdotalem requiritur necessario in ministro hujus sacramenti **jurisdictionis**. Etenim, ut definitum est a Trid. (l. c.), sententia absolutionis a sacerdote, tamquam a judice, ad instar actus judicialis pronuntianda est : quam veritatem Dogmaticis relinquimus demonstrandum. Unde concludit Trid. (l. c. c. 7) : „ Quoniam igitur natura et ratio judicij illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. „ Quod ut distinctius percipiatur, juvabit hic quaedam de natura et divisionibus jurisdictionis subnectere.

Jurisdictionis *universa sumpta* est potestas publica circa aliorum regimen seu gubernationem. Vocatur *publica* ad excludendam eam potestatem seu auctoritatem quam habet pater in filium, dominus in servum, etc., quae tantum ad domesticam ac privatam gubernationem pertinet. (Reiffenst. in l. 1. Deer. t. 29. n. 4. seqq.) Cum autem duae sint societas publicae et perfectae, Ecclesia et Status, distinguere est jurisdictionem ecclesiasticam et civilem.